



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Moyseſ in hac vita non vidit clare Dei eſſentiam ſicuti eſt. cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Sententia Augustini, & S. Thomae.

Nulla est nobis futura disputatio de anima Christi, an videret essentiam Dei, sicuti est; namque id ex professo tractati debet 3. p. q. 10. sed de alijs hominibus: constat enim ex superioribus, nihil obitare, quo minus Deus, si velit reuelare seipsum, possit in hac vita mortali videri. An vero de facto alicui sui claram visionem communicauerit, inter Doctores sacros, & Scholasticos controvertitur: & primum quidem de Moyse differendum est, de quo si diuinas litteras attendamus, maior videtur esse difficultas.

De eo igitur plane sentit Aug. quem alij graues auctores secuti sunt, vidisse Dei essentiam sicuti essentia docuit epist. 112. c. 12. & 13. tametsi in fine cap. 12. addita particula *forte*, id solum affirmeret: aperire tamen hanc sententiam tradidit 12. super Gene. ad lit. cap. 17. Cum Aug. sentit Hugo de S. Victore 1. tomo in questionibus in ep. 1. ad 1. oritur. q. 4. Abulen. in cap. 5. Math. 9. 4. 6. ad 4. & in cap. 12. Num. 9. 34. quam inquit esse opinionem Sanctorum Doctorum: idem Nicolaus de Lyra in illud Exod. 2. 3. *Ostende mihi gloriam*. & Denique inter Scholasticos Doctor. s. pro hac opinione est S. Th. in hoc ar. ad 2. & 2.2. quest. 17. 4. ar. 3. Caiet. & recentiores Thomistae ibidem. Sic etiam supponere videtur Dur. ex doctrina Aug. in 4. d. 46. q. 6. num. 5. ref. runtur pro hac sententia Ambrosius. 1. lib. hexameron cap. 1. & Basil. homil. 1. hexameron parum a principio.

Ambrosij verba de Moyse sunt, *Qui sicut Dominum facie ad faciem non in visione, neque in somnio, sed ore ad os cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per angustiam, sed clara, atque perspicua praesentia diuina designatione donatus*, Verum tamen praeterquam quod Ambrosius in ea videtur fuisse sententia cum Chrysost. ut putaret, Dei essentiam, sicuti est, clare à Beatis non videri: ex quo manifeste sequitur, idem quoque de Moyse docuisse verba illius, quae modo recitauimus eodem prorsus modo explicari possunt, quo verba Scrip. Num. 12. ex quibus non colligi claram Dei visionem, sicuti est, cap. 3. manifeste probabitur: ergo cum ait Ambrosius Moysem claratque perspicua praesentia Dei fuisse donatum, non de praesentia ipsius essentiae, sicuti est, sed de praesentia figurae corporalis, in qua Deus apparere designabatur, intelligit.

Basilius autem sic habet, *Sic itaque* (scilicet Moyse) *qui ipsam faciem Dei, aequaliter cum angelis videre dignus factus est, quia à Deo audiuit, nobis recenset*. Hactenus Basilius, cuius verba aedò manifesta videntur, ut ego minime dubitarem, ipsum in hac sententia fuisse, nisi crederem docuisse contra Anomaeos cum Chrysost. & alijs Patribus Graecis, (quos disp. 37. cap. 1. & 2. commemorauimus,) essentiam Dei à nemine, neque ab Angelis beatis videri posse, alioquin cum ipse sentiat à Moyse equaliter, atque ab Angelis Deum visum fuisse, si Angelis clare Dei essentiam intuerentur, eodem quoque modo Moyse eam vidisset: sed cum asserat solum claritatem quandam, & (ut ait Chrysost.) condescensum quendam Dei videre, idem & nihil amplius Moyse concedet.

Praecipua vero huius opinionis fundamenta sunt testimonia quaedam Scripturae, quae in confirmationem posterioris sententiae cap. 3. & 4. exam-

minanda sunt. Ratio vero, quae solet adduci, est, cum Moyse futurus esset populo Iudaico magister, & legis promulgator, Paulus vero gentium Doctor, & Euangelij praedicator, congruum erat, ut ipsis Dei essentia clare, & sicuti est, reuelaretur. Haec tamen ratio solum probat, si ita factum est, congrue satis factum fuisse, ob id tamen non sequitur, re ipsa id accidisse: quod si Petro, aut alteri Prophetae deus seipsum eo modo reuelasset congrue quoque id fecisse, diceremus: ob id tamen nullus asserit, aut Petro, aut alijs Prophetis, Deum sui claram visionem concessisse.

Ratio quid concludat.

CAPVT II.

Moyse in hac vita, non vidisse clare Dei essentiam, sicuti est.

Quamquam auctoritas Aug. & S. Tho. magni ponderis nobis merito esse debet, ut non sine magno fundamento, & matura ratione in re praecipue tam graui ab eorum sententia vquam discedamus: in hac tamen controuersia innumera Patrum multitudo, & pontificia auctoritas Euaristii me compulit, & adduxit, ut existimarem, Moysem nunquam in hac vita mortali Deum vidisse. Quam sententiam in primis tradidit ipse Euaristius Papa in epistola decretal. post med. qui quamuis id ex professo non vult definire, definens tamen tam Filij, quam Patris naturam lucem esse inaccessibilem, contra eos, qui dicebant hoc solum Patri conuenire, obiter tanquam notum subiungit, in alia vita à quolibet beato, Deum clare videndum esse, *Non sicut Moyse* (inquit) *ceterique prophetae per angustiam, & figuram, sed ipsam veraciter in Filio contuebantur veritatis imaginem*.

Patres vero qui hanc opinionem sequuntur, in tres classes distributi sunt. Prima est eorum, qui dicunt Deum à Beatis clare videri, sicuti est: quos disput. 37. c. 5. retulimus. Moyse tamen in hac vita non ita apparuisse, sic affirmant Dionysius 4. cap. de celesti Hierarch. in epist. 1. ad Caium, Iren. libr. 4. cap. 17. Orig. libr. 2. Perianchon, cap. 4. Hilarius in illa verba salui 1. 8. *Deprecatus sum faciem tuam*, Nazianzen. orat. 34. quae est 2. de Theologia, parum post initium, Gregorius 8. Moral. cap. 27. Bedam 6. tom. in questionibus super Exodum, q. 2.

In secunda classe sunt, qui neque aperte dicunt, neque negant, Deum clare à Beatis videri. Asserunt tamen nunquam in hac vita mortali à Moyse hoc modo visum fuisse. Hi sunt, Tertullianus contra Marcionem, c. 22. circa finem: & lib. contra Praxeam, cap. 1. 4. a principio: & colligitur ex iis, quae docet Orig. homil. 7. in Num. Phetadius libro contra Arrianos satis post med. Marius Victorinus lib. 4. contra Arrium, ante med. quorum duorum meminit Hieronymus lib. de Script. Eccles. eorum opera habentur 5. tom. Bibliothecae sacrae.

In tertia classe sunt omnes Patres, qui mea quidem sententia, ut disput. 37. cap. 1. & 2. monstraui, docuerunt essentiam Dei, sicuti est, à Beatis non videri, & peculiariter de Moyse dixerunt, nunquam in hac vita eam vidisse. Sic senserunt Chrysost. homil. 13. in Ioan. tom. 3. & homil. 1. 3. & 4. de incomprehensibili natura Dei, tom. 4. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 22. Ista in Exod. cap. 31. Gregorius Nyssenus lib. de beatitudinibus Epiph. haeres. 70. Theod. in dialogo, cui titulus. *Inmutabilis Ambrosius* in 6. Luc. c. de Angelis apparitione, muto Theophyl. & Euthym. quos citauimus in ea disputatione, & Hiero-

Doctores
Scholastici.
Alexand.
Caietan. &
Stapulen.

Eadem sen-
tentia di-
scussa colligitur.

6

IOAN. 1.
Scriptura sa-
cra auctori-
tate proba-
tur.

7

Ioan. 6.

ad Tim. 6.

& Hieronym. in illa verba Esaiæ cap. 1. *Audite verba Domini principes Sodomorum*: qui in vniuersum docent, essentiam Dei à Beatis non videri clare: de Moyse vero peculiarem non faciunt mentionem. Ex Doctoribus vero Scholasticis id ipsum de Moyse docuerunt. *Alexand. 1. part. q. 2. memb. 1. artic. 4. Caietan. in cap. 12. Num. Faber Stapulen. in cap. 1. lib. 1. Damasceni.*

Cum vero dubium non sit, ut in obseruationibus art. notauimus, nihil omnino obstat, quo minus Deus posset communicare viatori claram essentiam suæ visionem, & solum controuersia sit, an de facto alicui communicauerit, idque ex voluntate Dei sola dependeat: ex eius solum reuelatione diiudicandum est, utrum essentia Dei, sicuti est, Moyse ita fuerit reuelata, an non: Hæc autem reuelatio constare nobis potest, aut Ecclesiæ vero traditione, quæ in doctrina Patrum conseruatur, potius constet, nunquam Deum essentiam suam Moyse ostendisse; cum fere omnes vno ore id constanter affirmant: ex definitione autem Ecclesiæ, nihil omnino habemus; superest igitur, ut ex Scriptura id colligere debeamus. Ex hac vero existimo dupliciter nostram sententiam satis efficaciter probari posse: primum aliquibus testimonijs, ex quibus ea manifeste colligitur, deinde ostendendo nullum esse Scripturæ locum, ex quo opposita deducatur, imo ex aliquibus, quæ in confirmationem oppositæ solent afferri, nostram non obscure probari. In hoc igitur cap. ex Scriptura nostrâ sententiâ, priori illo modo confirmare conabimur: posteriori vero modo in seq. c. id ipsum monstrabimus.

Primum itaque probatur ex illo *Deum nemo vidit vnquam*: quod de hominibus, cum quibus in hac vita mortali conuersamur, intelligendum esse, probauimus disput. 27. c. 6. ergo Moyse in hac vita mortali, quando cum hominibus vixit, Deum non vidit, cum vniuersum Euangelista asserat, *deum nemo vidit vnquam*: imo vero si contextum ipsum attente expendamus, de Moyse etiam peculiariter id dictum videtur. Dixerat enim prius Ioan. *Lex per Moysem data est gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: ut ostenderet differentiam inter Christum, & Moysem, qui maximus inter Prophetas habebatur, & ipsum Christum Moyse præferret: Christi vero excellentiam, non solum in eo esse demonstrat, quod gratia, & veritas per eum facta sit, sed etiam, quod ipse solus, qui est vnigenitus in sinu Patris, viderit Deum, ut eius nobis mysteria enarrare posset: & ideo subiungit, *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit nobis*: nam si Moyse Deum, sicuti est, clare vidisset, ipse nobis enarrare potuisset, non autem solus Christus.

Eadem veritas probatur ex illo loco *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui à Deo est, hic vidit patrem*: præferimus, ut à nobis explicatus est, disputat. 37. cap. 6. Accedit etiam illud *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest*: quem etiam locum c. illo 6. cum aliis explanauimus.

CAPUT III.

Ex Scriptura Exodi 33. non solum non constat Moysem essentiam Dei clare vidisse, sed oppositum etiam non obscure colligitur.

Non leuiter nostram quoque sententiam confirmabimus, si demonstrauerimus, nullum

esse Scripturæ locum, ex quo Aug. & qui ipsum sequuntur, deducere poterint essentiam Dei sicuti est, Moyse fuisse clare reuelatam: licet enim absque villo fundamento, id dictum fuisse probabitur. Si enim neque traditione, nec definitione Ecclesiæ, ut diximus, nec Scriptura id constare potest, atque ex sola Dei voluntate penderet, qua ratione id potuit Aug. affirmare? Duo autem sunt Scripturæ loca, ex quibus ipse hanc doctrinam elicere conatur, vnus est Exodi 33. alter vero Num. 12. de priori in hoc cap. dicendum nobis est, in sequenti vero posterioriorem examinabimus.

Exodi igitur 33. aliqua verba sunt, ex quibus Aug. sententia colligi videtur. Primum cum dicitur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Ex his tamen verbis Aug. non deducit suam sententiam, omnes enim intelligunt locum illum de facie visibili, in qua Dominus apparebat. Sicut dixit Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*: loquebatur enim de ea forma visibili, in qua Angelus nomine Dei apparuit, cum quo luctabatur vsque mane.

Deinde probari videtur, ex eo quod Moyse dixit, *Offende mihi faciem tuam, ut sciam te*. Ex quibus verbis Augustinus suam sententiam colligere contendit, hac ratione: Moyse tunc petiuit videre, quod nondum viderat, non autem, quod iam viderat: atqui nondum viderat Deum secundum essentiam, viderat autem in figura corporeæ: ergo petiuit videre essentiam Dei, non faciem corporalis figuræ; qua ratione cum Aug. aliqui sentiunt, postulasse Moysem claram visionem essentiae Dei. Sic tradunt Philo lib. de profugis aliquantulum ante finem, Irenæus, Hilarius, & Tertullianus locis citatis in 2. cap. Huic autem petitioni acquieuit Deus, dixit enim eodem cap. *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*.

Verum huic rationi, non multum fidei Augustinus, & tandem fatetur, ex hoc loco nihil probari, siquidem in fine eiusdem capituli, Exodi 33. Moyse petendi, videre gloriam Dei, eam expresse Dominus negauit, ut inferius dicitur: sic etiam Abulen. qui cum Aug. sentit, Moysem in hac vita vidisse essentiam Dei, quæst. 34. super 12. cap. Num. & q. 17. super c. 33. Exodi, concedit Exodi 33. non fuisse Moyse concessam claram visionem essentiae Dei: idem tradit Lyranus, qui eandem cum Abulen. sententiam docuit. Atque ex ipso contextu, iuxta varias doctorum expositiones id ipsum probari potest. In cuius clariorem explicationem obseruandum est, colloquium illud Moyse cum domino, quod toto illo cap. 33. describitur, non fuisse in monte Oreb, sed in tabernaculo, postquam semel accepta lege, de monte descenderat: circa id vero, quod tunc Moyse à Domino petiuit, variant Doctores, sed quamcumque sequamur expositionem, inde probari nequit, Deum Moyse concessisse claram essentiam suæ visionem.

Primum quidem, si dicamus illis verbis, *Offende mihi faciem tuam*: Moysem petiisse claram Dei visionem, ut scribit Philo, Tertul. Iren. & Hilarius. non sequitur, eam Moyse fuisse concessam, Dominus enim solum respondit, *Præcedet te facies mea*: quibus verbis non significauit deus, claram sui visionem Moyse communicandam. Nam & Aug. & qui eius sequuntur opinionem, non contendunt toto tempore peregrinationis, essentiam Dei, sicuti est, Moyse

Augustin.

Exodi 33.
Primum
Exodi 33.
montium.

Explicatur.

Genes. 32.
9Secundum
sententiam
& ratio
August.Philo.
Irenæus,
Hilarius,
Tertullianus.Solutur ab
eodem Au-
gustino.

Abulen.

10

Pro loci ex-
positione no-
tatio.De petitione
Moyse prima
sententia.